

dicari, tam insolitas sibi laudes tribui, ut quæ nihil altum de se cogitarat unquam, sed modestissima et humillima semper erat. Fuit ergo illa turbatio partim timor, partim verecundia, partim admiratio: *Cæterum turbata fuit sed non perturbata*, inquit S. Bern. hom. III. quia sibi interim mense præsens cogitabat, qualis esset ista salutatio, ut mox sequitur.

II. Cur non resultavit angelum, sed tacita cogitavit, qualis esset ista salutatio.

Respondetur primo, ob hæsitacionem initio conceptam qua secum expendebat, essetne bonus an malus angelus, qui tam amicam et suavem afferret salutacionem, ut sensit S. Bernard. serm. III. super *Missus est*. Noverat enim virgo etiam angelum Satanæ transformare se in angelum lucis posse.

Secundo, ob virginalem verecundiam, ex S. Ambros. lib. I. offic. cap. XVIII. Erat enim purissimæ virginis tacere coram salutante, in pudicitie argumentum, et in aliorum præsertim, virginæ exemplum.

Tertio, ob singularem animi prudentiam, dum nondum intelligebat, quo spectaret illa salutatio. Ita docuit Eccles. XI. cap. *Priusquam audias, ne respondeas*.

III. Cur dicitur Christus sessurus in solio David, et cur regnaturus in domo Jacob? Respondetur, quia regnum Davidis sæculare typus erat regni Christi spiritualis et æterni, quod Davidi in Christo ejus semine promissum erat. Similiter domus Jacob typus Ecclesiæ, primo, quia sicut David initio regnavit super Judam tantum, II. Reg. II. postea vero super universum Israel, ita Christus primo, regnavit sceptro suo spiritali solum in Judæa, postea in universo orbe; et sicut omnes Israelitæ, descenderunt ab Israel seu Jacob per duodecim ejus filios, ita Ecclesia universa prognata est a Christo per duodecim ejus apostolos. Comparatur autem domui Jacob Ecclesia, non domui Abraham, aut Isaac, quia ex his prodierunt infideles, Israelitæ ab Ismaele, Edomitæ ab Esau. Regnum ergo Christi extendit se super omnes credentes.

Secundo, quia David multo, ante unctus, regnum multis exagitatus laboribus, et persecutionibus exercitus tandem victis hostibus obtinuit: ita Christus a nativitate quidem unctus est Spiritu sancto a Patre, et rex populi sui destinatus, (unde hunc titulum sibi dari passus est a Judæis, nec abnuvit coram Pilato) rex agnosci tamen et quasi cum honore evehi in regem, non nisi post multos labores et varias persecutiones voluit. Davidem sustulit Deus de gregibus ovium, de post fetantes accepit eum: et Christum de

stabulo, et de cruce evexit ad regiam. Rursum sicut Jacob viginti annis servire debuit socere suo, et pascere ejus greges, antequam filias ejus Liam et Rachelem obtineret, et ex illis progeniem suam totum Israeliticum populum: ita etiam Christus servire mundo debuit annis triginta tribus, antequam sibi desponsaret Liam, id est, synagogam et Rachelem, id est, gentilitatem, et ex iis totam procrearet Ecclesiam.

IV. Cur Maria interrogavit: *Quomodo fiet istud?* Respondetur, eam non dubitasse de veritate nuntii angelici sed modum tantum quævisse, quo concipere posset servata, quam noverat, virginitate. Unde S. Augustinus, l. VI. de civ. cap. XXIV. ait: « Non est Virginis Mariæ diffidentia, quod ait: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quod enim futurum esset, certa erat, modum quo fieret inquirebat, etc. » Credendum quidem est legisse, et intellexisse eam illum Isaiaæ locum: *Ecce Virgo concipiet, etc.* sed facile fieri potuit, ut tunc non statim advertit omnia, num ad se pertinerent, quæ ipsi agenda forent, etc.

Sed cur modum indigavit? Respondetur primo, ut cognosceret, quæ suæ partes quidve agendum foret: secundo, ut modus intemeratæ unius conceptionis, angelico, imo divino testimonio confirmatus firmius crederetur: tertio, ut hæc seria quæstione omnibus testatum faceret, quanti faveret virginitatem, ejusque præsertim votum, vel propositum saltem fixum et immobile. Modus porro ille erat, Spiritus sancti superventus, et obumbratio virtutis Altissimi, hoc est, mira Spiritus sancti operatio, qua absque omni viri complexu, e purissimo virginis sanguine selegit velut apud e flore materiam et semen sanctissimæ illius prolis; modo nimirum sanctissimo, castissimo, unde Spiritui sancto attribuitur.

V. Cur adducit angelus exemplum Elisabethæ? Respondetur primo, ut fidem Virginis licet jam credentis, eo exemplo tametsi minoris miraculi confirmaret solidaretque; quo modo nos fidei veritates sæpe rationibus naturalibus confirmamus. Hoc autem miraculum partus Elisabethæ minus quidem erat partu Virginis; erat tamen ei non absimile. Tam enim sterilem et senem parere, quam virginem, contra naturam videtur; et virgo cum sterili recte conferri potest.

Secundo, ut hoc nuntio excitaret Virginem ad visendam Elisabetham, ejusque filium Joannam in utero sanctificandum, ut qui jam adesset præcursor Messiaæ futurus.

VI. Cur Virginis consensus requisitus fuit?

Resp. primo, quia hic sponsalia Dei Patris cum B. Virgine, item Filii Dei cum humana natura de-

nique Christi cum Ecclesia celebranda erant, docuit ergo ut consensus utrinque adesset.

Secundo, quia nos una mulier male consentiendo nos pristino statui resitueret.

Tertio, quia non, sicut absque nostra voluntate nos creaverat Deus, ita et recreare statuit; sed cum illa potius: unde de dormiente quidem Adam Evaeducta est, sed non item caro Christi de dormiente virgine: qui creavit te sine te, non redimet te sine te.

Quarto, ut eo consensu Maria virtutes suas depromeret, et pauculis verbis ostenderet, quam merito ad hanc dignitatem, præ omnibus aliis electa esset.

Quinto denique, ut Deiparæ arctius obstringeremur nos, quorum salus suo modo dependebat etiam a Deipara, quæ in illo consensu personam gessit totius naturæ humanæ, ut asserit S. Thomas, III. p. q. XXX. a. 1. Quantas igitur ei gratias debemus?

VII. Cur Filius potius, quam Pater aut Spiritus sanctus carnem assumpsit?

Resp. primo, S. Bernard. serm. II. hoc in festo: « Altissimum est mysterium, nec nos oportet temere super hujusmodi præcipitare sententiam.

Videtur tamen nec Patris, nec Spiritus incarnationem in pluralitate filiorum effugisse contusionem, dum alius Dei, alius Filius hominis diceretur. Videtur et illud maxime congruum, ut is specialiter Filius fieret, qui Filius erat, ne quid ambiguitatis esset in nomine. Denique, ipsa est virginis nostræ gloria singularis et excellens prærogativa Mariæ, quod filium unum eumdemque cum Deo Patre meruit habere communem. » Hæc Bernard.

Secundo, quia personam carne vestiendam oportebat agere mediatorem inter Deum et hominem; hoc autem soli conveniebat Filio, tum quia media Persona est inter Patrem et Spiritum sanctum, tum quia Filii est intercedere et patrocinari apud Patrem.

Tertio, quia Persona mittenda debebat non solum redimere, sed docere etiam et illuminare mundum. Ideo recte missus est Filius, qui est Verbum et Sapientia Patris.

Quarto, quia homo peccati fœditate deformatum erat, qui ad imaginem Dei factus fuerat; ideo per eum, qui est splendor et imago bonitatis illius congrue reformandus erat.

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

AN ET QUOMODO MERUERIT B. VIRGO,  
UT ESSET MATER CHRISTI.

Maria virgo emit quodammodo Dei maternitatem. — I. Obtulit carnem et sanguinem suum. — II. Dedit voluntatem et animam suam ad excipiendum doloris gaudium. — III. Debuit captivare intellectum suum.

#### THEMA.

*Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Luc. I.

De forti et sapienti illa muliere scribit inter alia Salomon, Prov. cap. XXXI. *Consideravit agrum et emit eum.* Quis est iste ager? Respondebunt nobis agricolæ, agrum designare frugum fecunditatem, propter quam sunt et coluntur agri. Ergo ager iste hodie oblatum est Virgini Mariæ quasi vœnalis, ut si vellet eum emere, fieret fecunda, adeoque Mater Dei. Ager inquam ille, in quo absconditus est thesaurus infinitus (Matth. XIII). Dei inquam Filius: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi*, ad

Coloss. III. Nobilis profecto et pretiosus ager; sed emendus est, et caro quidem pretio. Omnia vendenda sunt et danda pro hoc agro, prout insinuavit Christus, Matth. XIII. Quid ad hoc Maria? *Consideravit agrum, quia cogitabat qualis esset ista salutatio.* Neque hoc tantum, sed et pretium ponderavit, an pro eo expendere deberet thesaurum virginitatis suæ: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Bene de ea sponsus dixit, Cant. I. *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.* Tur enim Hebr. est *considerare*: unde turtur est *bis considerare*; quod fecit hic Maria. Responde ergo, o Virgo: Vis emere hunc agrum? Respondet se dispendio virginitatis suæ, utpote Deo obligatæ, nec posse nec velle emere; alia omnia daturam: corpus, animam, voluntatem, intellectum, quibus nil pretiosius haberet. Quo consensu dato, conclusus est contractus. Atque hoc est meritum, ut appellant theologi *de congruo*, quo promeruit Maria, ut in executione esset Mater Dei; quod nunc expendemus.

I. Offerre debuit, obtulitque Virgo carnem et sanguinem suum. Primo, ad efformandam in ejus utero Christi carnem, opera Spiritus sancti,

et quidem absque ulla voluptate carnis. Rem magnam præstitit Hiram regi Salomoni, quando dedit ei ad structuram templi ligna cedrina, aliaque necessaria, III. Reg. V. At nihil hæc ad sanguinem Virginis purissimum et sanctissimum, quem ipsa dedit Christo, ad extruendum sacratissimum corporis ejus tabernaculum. Sed majora audiamus. Obtulit se Filio Dei in matrem, non quales sunt reginæ et illustres dominæ, sed quales sunt plebeie et pauperculæ, ut simul esset ancilla ejus, tametsi certa foret, se esse Matrem summi Regis: *Ecce ancilla Domini*, inquit. Peritissima erat Deipara in Scripturis sacris, habebat insuper sibi infusum a Deo habitum sapientiæ theologicæ, ut communiter docent doctores cum Suarez, p. III. tom. II. Itaque noverat pleraque saltem Christi mysteria, antequam fierent: prævidit officium et obsequia sua materna Filio impendenda; unde intelligebat, quod Filium entis in stabulo Bethlehemitico, sine obstetricis opera, ipsamet infasciare, lactare, lavare, in summa paupertate alere, vestire, educare, in Ægyptum gestare deberet. Vide insuper periculum famæ suæ; quod in primis sponsus suspectam de perfidia habiturus esset, vel certe habere posset; adeoque periculum incurrere præscriptæ in lege lapidationis. Magna ista sunt. Dicat Samuel vir sanctus et cordatus. Hic jussus a Deo ungere filium Isai in regem, regnante adhuc Saule, timuit certe, et mortis metum Deo objecit, dicens: *Audiat hoc Saul, et interficiet me*, I. Reg. XVI. Nihil tale objecit Maria: sed amore Filii sui et causa humanæ salutis, omnium communis, superavit omnia. S. Elisabetha regis filia et Thuringiæ principis conjux, visocadavere mariti, oravit ad Deum: « Tu seis, Deus, quod ejus desiderabilem præsentiam mihi gratissimam omnibus hujus mundi deliciis et gaudiis anteferrem, si ipsum mihi tua benignitas concessisset: optaremque omni tempore vitæ meæ in egestate et mendicitate vivere, dummodo ejus frui contubernio de tuo beneplacito licuisset. Nunc vero ipsum et me tuæ voluntatis dispositioni committo, » in ejus vit. 19. nov. Multum est hoc, fateor; sed longe plus quod Maria Filio obtulit, vel reipsa semper una cum ipso in paupertate viveret. Laudantur etiam Aquileienses feminæ, quod, obsidente urbem Attila et deficientibus chordis arcuum, quibus viri jaculabantur, capillos suos absciderint, indeque chordas confecerint, ut viri porro jaculari urbemque possent defendere, apud Fulgos. I. VII. c. VI. At quanto majus est quod Maria dedit Filio, caro, sanguis, fama, facultates, curæ, cogitationes, labores, omniaque quæcumque habuit: quo nimirum ipse

virginea vestitus carne debellare posset numani generis hostem potentissimum?

II. Offerre debuit voluntatem et animam suam ad excipiendum gladium doloris, qui ejus pectus transiturus erat; non solum quando Filii gratia probra sustinere, cum eo in Ægyptum fugere, ejus passionem videre et cruci adstare, ipsumque sepelire debuit; sed etiam, toto prævio tempore, quo prævidit omnes hos cruciatus Filii et suos. Itaque ipsa multo verius quam Simon Cyrenensis crucem portavit post Jesum, totis triginta quatuor annis a conceptione videlicet Christi usque ad ejus mortem. Templum Salomonis cum edificaretur de lapidibus dolatis: *Malleus et securis et omne ferramentum non sunt audita in eo*, III. Reg. VI. At non sic, cum destrueretur templum corporis Christi: omnes ictus, omnes alapæ, omnes contumeliæ sunt audita in corde Deiparæ, Exod. XXIII. præceptum erat: *Non coques hædum in lacte matris suæ*, ne scilicet in perniciem vertatur alicui, quod ad utilitatem et delectationem ejus servire debet. At hoc in Deipara minime servatum est: coctus est hædus ille in lacte et conspectu matris suæ, Agar illa, quando vidit morientem filium suum præ siti in deserto, abjecit eum subter unam arborem, et sedit e regione procul dicens: *Non videbo morientem puerum*, Gen. XXI. At hoc Mariæ non licuit. Adstare cruci debuit, et videre morientem Filium: audire etiam sibi valedicentem; sicque ei contigit, quod in pœna Deus minatur maximis prævaricatoribus, Deut. XXVIII. *Erit vita tua quasi pendens ante te*. Qua ratione? *Sicut pendens in ligno*, ait Tertull. I. cont. Jud. c. XI. Quis enim dubitet perpetuo ei ob oculos versatum esse crucifigendum Filium? Certe Nabuchodonosor, ut Sedeciam regem captum maxime torqueret, antequam ei oculos effodi juberet, filios in conspectu ejus trucidari mandavit, IV. Reg. XXV. Visum enim ipsi est dirissimum supplicium fore hoc parenti, filios amanti. At quanto major erat Deiparæ in Filium? Quod jam erat spectare talem Filium coram se tam diro supplicio necari? Vere igitur dicimus, quod pro Filio suo dederit animam suam.

III. Captivare intellectum suum debuit ad credendas res difficilimas, novas et eousque inauditas. Credere in primis mysterium Trinitatis distincte, quod ab angelo ei annuntiabatur: deinde, Dei Filium fore simul hominem ejusque filium; adeoque mysterium incarnationis et redemptionis: tertio, se fore ejus matrem, quidem sine ulla virginitatis jactura: quarto, fore matrem, quidem sine patre, mira Spiritus sancti operationi: denique, Deum immensum clauden-

dum in utero ejus. Sane olim Salomon capere non poterat, quod ei dicebatur, Deum habitaturum in templo suo: *Ergone putandum est, inquit, quod vere Deus habilet super terram? Si enim cælum et cæli cælorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi?* III. Reg. VIII. At Maria credidit se capturam Deum et clausuram utero suo. Vere itaque dicere possumus habuisse fidem, plusquam granum sinapis. Quis enim talem haberet, posset dicere monti: *Eradicare et transplantare in mare*, et fieret, Luc. XVII. at Maria sua fide effecit, ut ad unum ejus verbum: *Fiat mihi secundum verbum tuum*, mons ille montium de cælo descenderet, et transplantaretur in uterum ejus. Mira res! Fides Virginis effecit, ut mons immensæ magnitudinis in angustis virginis uteri limitibus seconstringeret ac contineret. Simile quid effecit olim fides Abrahami: cum enim peregrinans sub quercu parvum et tumultuarium tabernaculum sibi struxisset, veniunt ad eum tres angeli, quos excipit hospitio. Miratur hoc S. Augustinus, serm. LXVIII. de temp. et respondet: *Licet illa (spatia) minora fuerint, quæ offerebatur, locorum angustis magnitudinem dederat fides, quæ contemni non meruit a Deo*. Pari modo magna Mariæ fides ejus uterum in Dei habitaculum præparavit, et fidei latitudine hospitii angustias occurrit. Neque vero ad hæc tanta credenda, signum aliquod petiit, quemadmodum olim patres, uti Abraham, Gen. XV. *Domine Deus, unde scire possum, quod possessurus sum eam (Chananæam)?* Geffeon missus ad liberandum populum: *Domine, da mihi signum*, inquit, Judic. VI. Ezechias signum, recipiendæ salutis petiit, ut sol decem lineis retrocederet, IV. Reg. XX. Zacharias: *Unde hoc sciam?* inquit angelo, me scilicet habiturum in senectute filium, Luc. I. Non sic Maria, sed absque hæsitacione credidit secundum verbum angeli, id quod nisi fecisset, Dei mater facta non esset. Nec qualemcumque fidem Deo offerre debuit, sed constantem et perennem, quæ nunquam fluctuaret, etiam in triduo mortis Domini, dum alii pene omnes in fide nutabant. Candelam ergo obtulit, quæ nunquam extingueretur, licet aliis extinctis. Id quod Ecclesia representat in candelis illis, quæ in tenebrosis matutinis solent extinguere, una sola inextincta. Quis talem Deo fidem polliceri ausit?

Hæc ergo cum non exigua sint, non exiguas gratias agere Virgini debemus. Quia enim si assensum non dedisset, sane si os clausisset, cælum nobis clausisset. Hinc responsum ab ea expectavit totus orbis: *Deus in porta est*, ait Aug. serm. XVII. de nativitate Christi, *angelum, quem moraris expectat: O Beata Maria, sæculum omne*

*captivum tuum deprecatur assensum, etc.* expectat Dei Filius, sitiens salutem hæreditatis sibi donatæ et prædæ capiendæ: expectant angeli, desiderantes fratres pro amissis: expectant viventes, in carcere dæmonis detenti: expectant in limbo patres. Quare jure merito hoc beneficium inculcat nobis Ecclesia, quotidie per pulsum angelicæ salutationis. Eo igitur audito, recordemur illico vocis illius turturis cum gratiarum actione: quæ sicut nobis ver gratiæ attulit, ita sua intercessione afferre etiam velit æstatem gloriæ.

## CONCIO II.

VERBO FIAT QUANTA EFFECERIT B. VIRGO.

I. Mundum perditum restauravit. — II. Deum hominibus iratum placavit. — III. Dei Filium e sinu Patris in terra detraxit. — IV. Traxit, ut pro hominibus mortem crucis pateretur. — V. Humanum genus ad summam dignitatem evexit. — VI. Contrivit caput serpentis.

TITULUS.

*Fiat mihi secundum verbum tuum*. Luc. I.

Mirum quid pronuntiant filie Sion, sive animæ sanctæ de B. V. Maria, Cant. VI. dum, in miras ejus laudes prorumpentes, dicunt: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* Qua in laude facile intelligo, quæ dicuntur priora tria, de aurora, luna et sole; sed ultimum quis capiat? Quomodo nimirum terribilis sit ut castrorum acies ordinata? Ubi enim Virginis illius milites? Ubi arma? Ubi tormenta bellica? Ubi potentia? Hoc ut intelligam, manum mihi porrigit vel ethnicus poeta Euripides, qui sic canit:

*Cuncta sermo efficit.**Quæcumque ferrum efficere possit hostium.*

Quandoque enim verbis quis effecit quod integer exercitu efficere non potuit. Hoc autem cernitur hodie in sermone licet perbrevis V. Mariæ, quæ uno verbo *fiat (Fiat mihi secundum verbum tuum)* effecit quod nulli seu angelorum etiam exercitus efficere potuissent, ut nimirum, mox eo pronuntiato, carnem Dei Filius in ejus utero assumeret. Bene proinde terribilis dæmonibus, quos hoc verbo stravit velut castrorum acies ordinata. Multum quidem potest in ore principum verbum istud *fiat*; sed nihil hoc ad potentiam, quam habuit in ore Virginis, uti nunc videmus.

I. Unico verbo *fiat*, quo Deus creavit mundum

et omne humanum genus, B. Virgo mundum peccato eversum iterum creavit et suo nitori restituit, mortuumque hominem vivificavit; quia per hoc verbum dedit mundo reparatorem. Audiamus S. Bernard. hom. IV. super *Missus est*: *In sempertino Dei verbo facti sumus omnes, et ecce morimur: in tuo brevi responso sumus reficiendi, ut ad vitam revocemur.* In mortem incidimus per peccatum protoplastorum, ac tametsi præcise ex eo damnandi ad sensibiles pœnas non eramus, sed ad pœnam damni solum, seu privationis gloriæ; nihilominus tamen plerique omnes in eo misero statu, Dei gratia destituti, in lethalia propria lapsi fuisset, quod vel nunc aliquatenus tempore gratiæ experimur, quod videlicet pauci, ad paulo longius tempus sine gravibus peccatis vivant; sicque pariter mortem alteram, gehennæ, incurrissemus; et incurrerunt sane in gentilibus fere omnes. Unicum *fiat* B. Virginis, mortem hanc sustulit, et vitam mundo adduxit. Quare quod de Christo ait apostolus, I. Cor. XV. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo vivificabuntur.* Sic id etiam suo modo dici potest, ac dixit B. Amedæus, hom. VII. de Maria Virgine: *Sicut in Eva omnes moriuntur, ita etiam in Maria omnes vivificabuntur.* Cum in mundi creati prima die merum chaos esset, dixit Deus: *Fiat lux, et facta est lux.* Ante assensum Mariæ, quid nisi chaos in mundo erat? Quantæ tenebræ inter gentiles per universum orbem? Quot errores, ignorantia, cæcitates inter ipsos Judæos et legisperitos? Dixit Maria: *Fiat, et facta est lux;* quia: *Verbum caro factum est quod erat in hunc mundum.* Hanc ergo lucem Maria intulit in mundum. Ante hoc verbum *fiat*, mundus incompletus fuit, quia capite et rege suo visibili et homogeneo caruit, eique gradus aliquis entis, unio scilicet hypostatica hominis cum Deo defuit; quam ob causam multi præclari theologi sentiunt, Deum in carne venturum fuisse, tametsi Adam et posterius ejus non peccassent. Maria igitur verbo *fiat* mundum hunc perfecit, eique ultimam manum et coronidem imposuit; quia caput et regem visibilem dedit, hominem cum Deo hypostatice unitum. Prius reperiebantur singulæ naturæ in singulis personis, ut in hominibus et angelis: reperiebantur plures personæ in una natura, uti in Deo: Maria dedit tertium gradum, unam personam in pluribus naturis, scilicet Christum. Prius in universo extabant, qui simul patrem haberet et matrem, uti nos homines: rursus qui nec patrem haberent nec matrem, uti angeli: item qui patrem haberent sine matre, uti Dei Filius: Maria addidit ultimum gradum in Christo, qui secundum carnem haberet matrem sine patre.

II. Hoc verbo *fiat*, iratum generi humana Deum statim placavit, adeoque reconciliavit. Constat Deum ob rebellionem et peccata hominum justissimam in eos iram concepisse, et extrema minatum esse; nec reperiebatur qui iratum placare et retinere posset. Unde queritur Isaias, c. LXIV. *Ecce tu iratus es, non est qui consurgat et teneat te.* Verum desine, o propheta; inventa est puella tantæ fortitudinis et sanctitatis, ut tenere Deum iratum ac sedare queat: *Tenui eum, nec dimittam*, inquit, Cant. III. *donec introducam eum in domum matris meæ, et in cubiculum genetricis meæ*, synagogæ scilicet aut Judææ, pariendo eum in Bethlehem, quæ erat caput et domus familiæ Davidicæ, et in ejus stabulo, velut ejus cubiculo. Refert Plin. l. VIII. c. XVI. leonem in silvis Gætulie mulieri e captivitate reduci ferociter occurrentem, mitigatum ejus alloquio, ausæ dicere se feminam profugam, infirmam, supplicem animalis generosissimi, indignam ejus præda. At B. Virgo suavissimo suo alloquio: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, Deum ipsum mundo iratum mitigavit. Quanto mirabilius hoc? Celebratur et a Livio, l. II. dec. I. Veturia Rom. quæ filii Coriolani, Romam obsidione prementis multumque affligentis, iram oratione sedavit. Laudatur in ss. libris prudentissima et facundissima Abigailis oratio, qua iratum marito et domui suæ, jamque ad vindictam paratum Davidem et placavit et sibi devinxit, ut postea conjux ejus fieri mereretur, I. Reg. XXV. Prædicatur denique et jure quidem, mira S. Leonis Pp. I. eloquentia, qua immanem illum orbis terrorem, Attilam, quem nec Alpes, nec montuosa loca, nec arma abstertere ab ingressu Italiæ potuerunt, a concepta in Romam ira et funesto itinere absteruit; adeoque ex leone in ovem quodammodo mutavit. Sed parva adhuc sunt ista, si cum illo, licet brevissimo, potentissimo tamen eloquio Mariæ comparentur; quo non leonem sed Deum, non Filium sed omnium creatorem et dominum, non hominem sed Deum iratum placavit; et quasi ex leone in ovem, certe in infantem convertit. Quantum laborarant olim sancti, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Moyses, propheta, ut pacem inter Deum et humanum genus sancirent! Nihil effecerunt: Maria unum ad Deum verbum effata est, pacem impetravit, dicendo: *Fiat mihi, quasi diceret: Pax in virtute tua*, Ps. CXXI.

III. Hoc verbo *fiat*, Dei Filium e sinu Patris in terram detraxit. Hinc S. Bernardus, serm. XLII. in Cant. et Rupertus, de ipsa intelligunt, quod Cant. I. dicitur: *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis.* Quid accubitus regis, nisi quies et deliciæ Filii Dei in sinu

Patris? Quid nardus, herba modica et odorifera, nisi modicum illud obedientiæ et amoris verbum *fiat*? Hujus verbi odor ascendit usque in cælum, et e sinu Patris dulcissimo, deliciosissimo, Filium extraxit, atque in terram Virginisque uterum detraxit. Magnum quiddam est, quod mulier Pythonissa Samuelem prophetam e limbo patrum carmine magico evocavit, et coram Saule stetit, ut responsum ei daret, I. Reg. XXVIII. at quanto majus est, quod Maria Dei Filium e cælo in terram verbo uno *fiat* evocavit et quasi incantatione aliqua detraxit? Non credendum quod Pythonissa illa potuerit aliquid, sive sua sive dæmonis arte, in animam Samuelis e sinu Abrahæ evocandam: sed Deus utique ad molimen femine, licet necromantiæ stetit prophetæ animam. At vero B. Virgo verbo illo suo velut virtuosissimo et ad impetrandum potentissimo vere e sinu Patris evocavit Dei Filium. Quo spectare videntur verba illa ipsi ad sponsam, Cant. IV. *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui*: septuaginta habent: *Abstulisti cor meum, et quomodo abstulit? Uno crine colli sui. Quid crine gracilius et flexibilis? Verbum illud fiat, quo inflexit Maria in Dei voluntatem, ipsum vicissim ita inflexit, ut in uterum ejus descenderet.* Obstupuit aliquando populus Rom. quando vidit maximam navim, qua Cybele, deorum mater, vehabatur, trahi a Vestali virgine, Claudia, adverso Tiberis flumine ad contestandam ejus innocentiam contra calumniatores, solo virginis cingulo, quam magna populi pars nullo conatu trahere poterat, Sabeluc. l. II. c. V. At hoc quomodocumque factum sit, parum est respectu ejus quod Maria fecit, Dei Filium e Patris deliciis detrahendo in hunc mundum criminibus oppletum, unico verbo *fiat*, quasi uno crine colli sui, et quidem adverso quasi flumine, ut descenderet Deus ad creaturas, Dominus ad servos suos reprobos et rebelles. Quantum Mariæ robur!

IV. Neque ad hoc in terras evocavit Deum Virgo, ut is imperaret, bonis omnibus gauderet et deliciis frueretur: neque solum ut mundum ornaret, perficeret et visitaret, sed ut in eo pro amore nostri acerbissima quæque, ac mortem deique turpissimam sustineret: quod omnem admirationem superat. Miramus non immerito quomodo Samson ille robustissimus a Dalila persuaderi potuerit, ut caput in ejus sinum dormiturus deponeret; quam tamen sibi et vitæ suæ insidiari, ut hostibus traderetur, jam expertus fuerat, Judic. XVI. sed nimirum illa blanditiis meretriciis eum aggressa est, facinora ejus dilaudans (ut scribit Josephus), vires deprædicans, importunis denique precibus eum affligens ac

molestans. Et quid mirum hominem capi feminarum blandiloquio? At vero Deum persuaderi a muliere, et quidem uno ejus verbo, ut, seposita quasi majestate sua, demittat se in sinum ejus, ut ibi amore consopitus permittat se spoliari robore et decore suo, fama et existimatione sua; tradi hostibus, illudi, dirissime torqueri et occidi pro salute mancipiorum suorum: quis hoc satis intellectu capere potest? Quis Mariæ vires et sermonis facundiam satis deprædicare?

V. Hoc eodem verbo totum genus humanum ad summam dignitatem extulit, ut divinæ naturæ consors et cognatum fieret, hominesque Dei fratres ac consanguinei appellari possent. Hoc est, quod optavit sponsa, seu natura humana, Cant. VIII. dicens: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris et deosculer te, et jam me nemo despiciat?* quasi diceret: O si Deus ad nos homines descenderet, et carne nostra indutus, frater noster fieret, sugens ubera matris meæ Mariæ, quæ, communis omnium invocantium se mater fieret; ut sic exaltata, ipsique Deo cognata, non amplius despiceret et subsannaret! Sane ante Christi adventum genus humanum ob peccati labem despiciabile ac contemptum erat; ita ut dicatur Ps. XLVIII. *Homo cum in honore esset non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Subsannavit eum Deus: *Ecce quasi unus ex nobis factus est!* Gen. III. quasi dicat: En quid Deus factus est! Nudus et miserabilis, pellica tectus veste! Despexerunt angeli, qui ei non faciem sed dorsum ostenderunt, uti illi Agar ancillæ, Gen. XVI. et alter Moysi, Exod. XXXIII. despexerunt et irriserunt dæmones qui in idolis homines deluserunt ac deceperunt, iis denique ad fœdissima quæque scelera in ipsam naturam humanam perpetranda, facile protractis, turpiter abusi sunt: spreverunt bruta animalia, quæ majore ex parte rebellia hominibus facta sunt. At vide nunc potentiam verbi Mariani. Postquam illa dixit: *Fiat mihi*, Deus unus ex nobis, frater et propinquus noster factus est: angeli nos honorare cœperunt, nec amplius se ut olim in veteri lege adorari ab hominibus (ut docet S. Gregorius, hom. VIII. in evang.) passi sunt; uti ille, qui Joanni se adoraturus dixit: *Vide ne feceris; conservus tuus sum et fratrum tuorum*, Apoc. XIX. dæmones vero ab hominibus subacti sunt et expulsi ex idolis: bruta ipsa sæpenumero viris sanctis pristinam obedientiam exhibuerunt. Denique, quis despiciere, imo non venerari poterit homines, Dei consanguineos factos? Quis nescit, si quis rex in abjectam obscuramque familiam per connubium se inserat, quod hoc ipso sua nobilitate